



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

XXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

582 GREGORIVS P.X. CONCILIVM RUDOLPHVS I. IMP.
PHILIPPVS III. R. FRANC.
tionem esse canonicam in hoc casu , si aliis rite ser-
uatis, eos , qui monentur , exprimat nominatim.
Statuimus quoque , vt inter monitiones , quas , vt
canonice promulgetur excommunicationis sen-
tentia , statuunt iura permitti iudices , ne monitio-
nibus tribus vtantur , siue vna pro omnibus , obser-
uent aliquorum dierum competentia interualla , nisi
facti necessitas ea suaserit aliter moderanda.

XXX.

Idem in eodem. Præsenti generali declaramus
edicto , beneficium relaxationis ad cautelam , quo-
ad interdicti sententias , in ciuitates , castra , vel quæ-
libet alia loca , siue terras aliquas generaliter pro-
mulgatas , locum aliquatenus non habere.

XXXI.

Idem in eodem. Quicumque pro eo , quod in
reges , principes , barones , nobiles , balliuos , vel
quoslibet ministros eorum , aut quoscumque alios ,
excommunicationis , suspensionis , seu interdicti
sententia fuerit promulgata , licentiam alicui dede-
rint occidendi , capiendi , seu alias in personis , aut
bonis suis vel suorum grauandi eos qui tales sen-
tentias protulerunt , siue quorum sunt occasione
prolatæ , vel easdem sententias obseruantes , seu ta-
liter excommunicatis communicare nolentes , ni-
si licentiam ipsam re integra reuocauerint , vel si
ad bonorum captionem occasione ipsius licentiae
sit processum , nisi bona ipsa sint infra octo dierum
spatium restituta , aut satisfactio pro ipsis impensa ,
in excommunicationis sententiam incident ipso
facto. Eadem quoque sint sententia innodati om-

M.P.
L.A.N.C.
ite ser.
natim,
as, vt
is sen.
onitio.
obser.
lla, n*ii*

GREGORIUS LVGDVNENSE II. RUDOLPHVS I. IMP.
P.X. PHILIPPVS III. R. FRANC. 583

ANNO CHRISTI 1274. nes qui ausi fuerint prædicta licentia data vti, vel aliquid præmissorum, ad quæ committenda licentiam dari prohibuimus alias committere suo motu: qui autem in eadem sententia permanferint duorum mensium spatio, extunc ab ea non possint, nisi per sedem apostolicam, absolutionis beneficium obtinere. Datum Lugduni Kalendis Nouembbris, anno tertio.

I N

* CONCILIVM LVGDVNENSE II.

OECVMENICVM, SIVE VNIVERSALE XIV. approbatum, episcoporum plusquam septingentorum, contra Græcorum errores, & pro recuperatione terræ sanctæ, aliisque de causis celebratum anno Domini MCCLXXIV. sub Gregorio X. & Rudolpho imperatore,

N O T A E.

* *Concilium.*] De loco & tempore habiti Concilii, de personis quæ præsto fuerunt, de rebus in Concilio constitutis & peractis, summatim Trithemius in chronico Hirsaugensi ista ait: *Concilium generale Lugduni celebrauit Gregorius X. anno pontificatus sui secundo, in quo mulci cardinales, archiepiscopi, abbates, aliqui diuersi generis prelati comparuerunt, multa ad electionem summi pontificis, ad expeditiōnem in Saracenos, ad unionem Greco Latineque ecclesie, & ad pacem Christianorum pertinentia mature statuentes. Ibi comparuit Paleologus imperator Constantinopolitanus cum magno comitatu, qui tertiadecima vice in sententiam Romanae ecclesie Gracos suos toties deficiētes Concilio necessario pertraxit. Hæc chronicon Hirsaugense.*

Siffridus presbyter libro 2. sua epitomes, Anno 1274. celebratum est, inquit, *Lugduni Concilium magnum, presente papa Gregorio X. Hic electionem regis Rudolphi confirmauit. Blondus decade 2. lib. 8. Gregorius pontifex, ait, Lugduni Concilium indixit. Contulit se ad id Concilium Michael Paleologus Greco-rum imperator, & unioni orientalis ad occidentalem ecclesiam consenſit: secutique illum nonnulli T'artari, gentis Scythicae proceres, sacro baptismatis charactere superflui, Christianos se & catholicos fore profecti sunt. Sed & Rudolphus ab electoribus Germanis in Romanorum regem declaratus, ea conditione a Gregorio pontifice in Concilio est acceptus, ut Roman pacificus ad inunctionem accipiendo se conferret, ac rebus Hierosolyma quantam posset opem ferret.*